



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

37. De Clericorum tonsura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

stolus prohibens sacramentum loquitur dicens: *Ante omnia autem, fratres mei, --- nolite jurare.* Hæc, fratres carissimi, ipse Dominus prohibet, id est, non debere jurare, sacramenta non exigi nisi pro fide recta. Hæc Apostoli maximè omnes hæc sancti viri prædecessores nostri, qui huic sanctæ universali & apostolicæ Ecclesiæ præfuerunt ante nos, hæc Prophetæ & reliqui sancti doctores per universum mundum dispersi ad prædicandum juramenta vetant.

De ecclesiastica controversia testes.

XXXV. Omnis controversia quæ de ecclesiasticis rebus fit, secundùm divinam legem sub duobus vel tribus testibus terminetur, dicente Domino: *Non unus stet contra alium, sed in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Similiter & de separatione conjugatorum, ut tres veraces homines hoc testificentur, si septem inveniri non valeant.

De medico malè curante.

XXXVI. Medicus infantem incautiùs curans, claudicantem effecit. Quæsitum est an gradum in clero talis mereri possit. Et visum est quòd hujusmodi debilitas, si alios bonos profectus ostenderit, eum à gradu non debeat prohibere.

De Clericorum tonsura.

XXXVII. Clericus si tonsuram dimissa uxore acceperit, qui quidem sit sine gradu, nec ad monasterium quodlibet à parentibus tradi-

Concil. Tri-
bur. c. 27.
Burchard. lib.
8 c. 97.

430 SECUNDA APPENDIX
tus, si uxorem habere permittitur, iterum
tonderi cogatur, nec in vita sua tonsuram ne-
gligere audeat. Quem autem progenitores
tradiderunt, & in Ecclesia legit, nec uxorem
ducere nec monasterium deserere poterit. Sed
si discesserit, reducatur. Si tonsuram dimise-
rit, rursus tondeatur. Uxorem si usurpaverit,
dimittere compellatur.

De puellis monialibus factis.

Concil. Tri-
bur. c. 24.
Burchard. lib.
8. c. 98.

XXXVIII. Puella si ante duodecim an-
nos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen al-
sumit, possunt statim parentes vel tutores ejus
id factum irritum facere, si volunt. At si an-
num & diem dissimulando contulerint, ulte-
riùs nec illi nec ipsa mutare hoc poterunt.
Porro si in fortiori ætate adolescentula vel
adolescens servire Deo elegerint, non est po-
testas parentibus hoc prohibendi.

De laicis morientium Presbyterorum
substantiam diripientibus.

Vide supra
lib. 2. c. 39.

XXXIX. Perlatum est quoque ad san-
ctam synodum quòd quidam laici improbe
agant contra Presbyteros suos, ita ut de mo-
rientium Presbyterorum substantia partes sibi
vinditent sicuti de substantia rusticorum suo-
rum. Interdicimus itaque ne hoc ulterius fiat,
sed sicut liberi facti sunt ad suscipiendum gra-
dum & agendum divinum officium, ita ab eis
nihil exigatur præter Dei officium. De pecu-
lio verò sacerdotum nihil sibi usurpent; sed ex
duabus partibus faciant Presbyteri quod sibi
placuerit. Tertiam, secundum canonum iussa,